

Primo enim objicies : Nulla potest dari communicatio Dei ad homines amicabile; ergo nulla datur vera, et propria amicitia. Antecedens probatur: Omnis communicatio Dei ad homines etiam in genere supernaturali est cum infinita distantia Dei ad nos, et cum summa dependentia nostri ad Deum, etiam in donis supernaturalibus; ergo talis communicatio fundat summam servitatem, et subjectionem, quia summa dependentia summam importat subjectionem: repugnat autem quod idem sit fundamentum servitutis, et amicitiae, cum servus, et amicus opponatur, ut constat Jonn. xv: *Jam non dicam vos servos, sed amicos*: ergo non datur propria amicitia hominis ad Deum.

X. Secundo objicies: Quia saltem charitatis non est formaliter amicitia, sed solum fundamentaliter, et antecedenter; nam charitas habet suum objectum formale complete, et perfecte per hoc, quod est diligere Deum propter seipsum super omnia; sed hic amor non est formaliter amicitia: ergo minor probatur, quia talis amor nondum includit formaliter mutuam redamationem, sed solum benevolentiam hominis ad Deum, qui amat ipsum super omnia, etiam si ab ipso non redamaretur; ergo nondum ibi intelligitur formalis ratio amicitiae. Major probatur, quia ille amor diligendi Deum super omnia propter seipsum præscindendo a mutua redamatione Dei non est amor concupiscentiae, cum non velit bonum ipsi amanti, sed ipsi amato; ergo est charitas: præsertim cum talis amor opponatur peccato, quia diligit Deum plusquam omnia: et consequenter sufficit ad justificationem. Tertio, ad habitum charitatis etiam sperfinet elicere amorem concupiscentiae, ut patet in illo actu, quo in patria concupiscimus Deum, qui

elicitur a fruitione charitatis, ut diximus disputatione prima de spe, articulo primo: ergo charitas non est sola, et pura amicitia. Quarto, quia charitas etiam est erga proximos, et tamen non diligit illos propter se, sed propter Deum; ergo saltem respectu proximorum non est amicitia. Denique, non servat charitas omnes conditiones amicitiae, nam licet nos amemus Deum propter seipsum, tamen Deus non diligit nos propter nos ipsos, sed propter se; ergo non habet mutuam amorem amicitiae, nec servat æqualitatem erga nos, quam tamen exigit amicitia, neque convictum, et familiaritatem saltem in hac vita, quia nos latet quod Deus nos amet, cum tamen ad veram amicitiam oportet quod amicus cognoscat se diligi ab alio. Et quidem cum infantibus baptizatis nullum Deus habet convictum; et tamen habet eandem charitatem quam nos: ergo saltem in illis non est amicitia.

XI. Ad primum respondetur amicitiam excellentiae non excludere omnem servitatem, neque aliam generalem, et quasi physicam, quæ est inter creaturam, et creatorem; hæc enim tolli non potest a creatura: neque specialem seu moralem, quæ est secundum convictum rationalium personarum, inter quas quædam serviunt, et quædam dominantur. Homo autem etiam per dona supernaturalia ita manet Dei amicus, quod etiam illi servit: sicut dicitur amicus regis, qui est ejus minister. Et sic est duplex servitus, una vilis sicut in mancipiis, et captivis; alia honorata, quæ invenitur in liberis, ingenuis, sicut servi regis, qui illi assistunt et convivunt. Et prima servitus repugnat amicitiae, non secunda. Et ita sancti, qui vocantur amici Dei etiam dicuntur servi Dei, sicut dicitur de Moyse Exod. xxxiii: *Quod loqueba-*

tur Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum, et tamen vocatur servus, Num. xii: At non talis servus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est.

XII. Ad secundum pater Lorca super quæstionem xxiii, art. i, disp. ii, num. xvi, existimat charitatem dici amicitiam fundamentaliter; formaliter autem solum esse amorem benevolentiae, quo Deus amatur propter se; sequuntur tamen charitatem conditiones amicitiae, quia qui Deum diligit diligitur ab eo, etc. Sed hæc sententia contraria est D. Thomæ infra quæst. xxvii, art. ii, ubi inquit quod: « Amor importat quamdam unionem secundum affectum amantis ad amatum, in quantum scilicet amans æstimat amatum quodammodo ut unum sibi, vel ad se pertinens, et sic movetur in ipsum, sed benevolentia est simplex actus voluntatis, quo volumus alicui bonum, etiam non præsupposita prædicta unione affectus ad ipsum. Si ergo in dilectione secundum quod est actus charitatis, includitur quidem benevolentia, sed dilectio, sive amor addit unionem affectus. Et propter hoc philosophus dicit quod benevolentia est principium amicitiae. » Ita D. Thomas. Quare si Deus non se communicaret nobis, nec redamaret nos, ille actus quod diligeremus eum super omnia non esset actus charitatis simpliciter et perfecte, sed simplicis benevolentiae, quæ est inchoatio et dispositio ad amicitiam, ideoque solum reductive pertineret ad charitatem tamquam principium amicitiae in genere supernaturali, non amicitia; si autem esset amor naturalis erga Deum pertineret ad illum actum, seu principium, quo volumus finem honestum antecedenter ad virtutes, quæ versantur circa actus electionis, et supponunt ac-

tum intentionis erga finem bonum, qui est aliquid altius virtute morali; et in illo casu non sufficeret ille actus ad justificationem, et expulsionem peccati, eo quod Deus non se communicaret, et consequenter non daret gratiam quæ est forma justificans.

XIII. Quo etiam argumento probatur contritionem, et actum charitatis formaliter non justificare, non intellecta communicatione Dei per gratiam. Itaque actus charitatis formaliter fertur in Deum ut summum bonum nobis unitum per communicationem sui. Unde remota communicatione tenditur in Deum ut a nobis separatum, quod non pertinet ad charitatem, sed vel ad timorem, vel ad religionem, si illum colendo respiciat, vel ad amorem benevolentiae, qui est initium amicitiae, non ipsa amicitia: requirit enim illam unionem ut conditionem intrinsecam, ex cujus variatione ratio formalis variatur, sicut ex variatione obscuritatis variatur testificatio fidei.

XIV. Ad tertium respondetur tractatu de spe, disp. i, art. i. In summa charitas non potest elicere amorem concupiscentiae imperfectæ, scilicet quæ vult sibi bonum sistendo in se; potest tamen elicere concupiscentiam perfectam, id est, non sistentem in se, sed relatam ad amicitiam; sic enim concupiscit Deum fruendo illo ut præsentem, quod hoc ipsum refert ad Deum ut amicum. Non est autem inconveniens, quod amicitia habeat aliquam concupiscentiam adjunctam, ut ex Cajetano ostendimus ibidem articulo tertio. Nam quando volo bonum amico, ly bonum est concupiscentiae, ly amico est amicitia. Sic etiam fruitio charitatis potest concupiscere Deum sibi quatenus etiam secundario diligit se, sicut etiam quemlibet proximum; sed tamen totum hoc ulti-

mate refert ad Deum, ut amicum.

XV. Ad quartum relictis aliis solutionibus apud patrem Torres disp. LXVI, dub. II, et patrem Lorca ubi supra, respondetur quod proximus est objectum secundarium charitatis, et ita non diligitur propter se primario tamquam propter finem, sed mediante objecto primario amicitiae: conditiones enim amicitiae non æqualiter relucunt in objecto primario et secundario, et nihilominus per charitatem volumus bonum proximo ut fini cuius gratia; hoc enim non requiritur ad amicitiam.

XVI. Ad ultimum nego antecedens. Ad impugnationem dicitur, quod Deus amat non ut amicos, non tamen eadem æquiparantia, qua nos illum, cum ista sit amicitia excellentiæ, sicut inter inferiorem et superiorem: sufficit ergo quod amet nos volendo nobis bonum ut subjectis non ut fini cuius gratia, sicut nos illum amare debemus. Ad secundam impugnationem dicitur, quod in amicitia excellentiæ non requiritur æqualitas in personis, aut statu vel officio, sed sufficit quod sit æqualitas correspondentiæ, ita ut sicut unus amat, alter amet. Eleganter Bernardus sermone LXXXIII in Cantica: « Si dominatur Deus, me oportet servire; si imperat, me oportet parere, et non vicissim a Domino, vel servitium exigere possum, vel obsequium; cum autem Deus amat, non aliud vult quam amari, quippe non aliud amat nisi ut ametur. »

XVII. Ad ultimum denique dicitur Deum habere convictum, et familiaritatem nobiscum in hac quidem vita imperfectam, et obscuram per fidem, et in patria per speciem quando servi ejus videbunt faciem ejus semper, ut dicitur Apocalypsis ultimo. Et licet certitudine absoluta non constet modo nobis de dilectione Dei, tamen per signa probabilia

omnino constat, nam ut dicit Apostolus: *Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro: quod filii Dei sumus*: quod vero additur de infantibus baptizatis dicimus Deum habere cum ipsis amicitiam habitu non actu, et ideo neque convictum habet cum ipsis actualiter propter defectum usus rationis.

ARTICULUS II.

Utrum in charitate naturali invenitur ratio amicitiae erga Deum?

I. Supponit hæc quæstio unum, et inquit aliud: supponit dari amorem Dei benevolentiae distinctum ab amore supernaturali, et inquit, an talis amor Dei super omnia habeat rationem veræ amicitiae. Et quidem circa primum nulla esset opus disputatione, sed suppositione, nisi Vazquez distinctionem hanc duplicis amoris naturalis, et supernaturalis in dubium revocaret 1-2, disp. cxcv, cap. II et III, contra quem valide, et efficaciter pugnat Suarez libro primo de gratia, cap. XXX, et Lorca hic quæst. XXIII, articulo IV, disp. VI. Sensus ergo Vazquez est non dari duplicem amorem naturalem, qui sit amor benevolentiae Dei super omnia, sed solum posse distinguere per hoc, quod amor naturalis dicatur amor concupiscentiæ erga Deum, amor autem supernaturalis amor amicitiae. Et vocat naturalem amorem concupiscentiæ, non quia non indigeat auxilio gratiæ Dei moventis, sed quia non indiget principio habituali sua natura infuso, sicut indiget amor amicitiae erga Deum. Fundamentum Vazquez (relicta auctoritate negativa, quod patres non distinxerunt hunc duplicem amorem) ex triplici capite deducitur, quod latissime ab ipso, et

confuse probatur. Primo, ex ratione formali utriusque amoris: secundo, ex principio ex virtute, qua fit: tertio, ex effectu, quem facit. Primum sic: Impossibile est distinguere duplicem amorem naturalem, et supernaturalem, nisi distinguatur duplex ratio formalis specificans; sed non potest ista ratio distinguere in amore naturali, et supernaturali, si uterque sit benevolentiae Dei super omnia; ergo major patet, minor probatur. Amor benevolentiae respicit Deum in se ipso, sed in se ipso bonitas Dei ut diligibilis super omnia est unica et indivisibilis: ergo ex parte bonitatis divinæ non fundatur duplex ratio formalis amandi.

II. Dices distinguere istas duas rationes. Primo, quia consideratur in Deo non duplex bonitas, sed duplex communicatio donorum naturalium, vel supernaturalium: secundo, quia diverso modo apprehenditur Deus, ut auctor naturalis per lumen naturale, ac ut supernaturalis per fidem: aut tertio, quia utitur a duplici principio, naturalis amor a sola voluntate sine habitu, supernaturalis autem ab habitu infuso.

III. Sed prima solutio non valet, quia Deus consideratus sub diversa ratione communicantis nobis bona sua diligitur non in se ipso, sed relate ad nos et propter beneficia sua; et primum pertinet ad concupiscentiam; secundum ad gratitudinem; neutrum ad amicitiam. Secunda solutio non sufficit, quia apprehensio objecti solum se habet ut conditio, non ut ratio motiva; ergo quod bonitas Dei apprehendatur modo naturali, vel supernaturali nihil variat de illo affectu, qui tendit in ipsam Dei bonitatem ut est in se, segregando omne aliud, quod extra Deum, sicut etiam cognitio Dei per fidem, vel visionem non variat rationem formalem charitatis. Tertia denique non concludit,

quia diversa principia affectiva non distinguunt actus nisi mediante diversitate objecti, a quo specificantur, ergo quamdiu non assignatur differentia ex parte objecti imperinenter se habet diversitas ex parte principii.

IV. Ex secundo capite sumitur fundamentum patris Vazquez, quia si iste amor naturalis daretur, non esset cur non posset elici viribus naturæ in hoc statu peccati, sicut in natura integra, quia nihil intrinsece manet in homine post peccatum. Quod reddat illum impotentem ad talem actum, non improprio ad tam excellens opus, quia licet facultas naturalis infirma non possit facere opus excellens propter improprietatem virium, facultas tamen libera potest, eo quod nullo modo minuitur ratio libertatis per peccatum. Unde cum naturali auxilio Dei potest quod antea. Non habitus pravus, et vitiosus, quia hic non semper datur ex omni actu peccati, et saltem per originale non traducitur. Non pronitas, et affectus ad res temporales, quod pertinet ad fomitem, quia hic etiam post infusam gratiam manet, et tamen non impedit elicere actus dilectionis supernaturalis: ergo neque naturalis. Non denique macula ipsa peccati, quia hæc vel pugnat formaliter cum dilectione naturali, vel non. Si pugnat expellitur macula a tali dilectione, et consequenter sine gratia supernaturali poterit emundari a peccato, et justificari. Si non pugnat, ergo possunt esse simul, et sic obstante macula elici poterit iste actus viribus naturæ: nec enim macula minuit vires istas, cum non opponatur facultati agendi, quia non est habitus vitiosus, sed nitori gratiæ, et rationis in ipsa essentia animæ.

V. Denique ex tertio capite procedit Vazquez, quia quæcumque